

Eilhard Lubin Werner Fabritius

Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro : Duodecima, De Anima Immortalitate

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756646812>

Druck Freier  Zugang



R. U. theol.
Lubinus, Eilh.
d'isp. de veritate relig.
christianae 1-24.
1602:03.
1601-1602

Contenta :

- ① Frid. Cressius, De veritate religionis christianae I 1601
- ② Das. Rezzius, De ver. rel. chr. II 1601
- ③ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. III 1601
- ④ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. IV 1601
- ⑤ Abr. Drentrot, De ver. rel. chr. V 1601
- ⑥ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. VI 1601
- ⑦ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. VII 1601
- ⑧ Boc. Hagius, De ver. rel. chr. VIII 1601
- ⑨ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. IX 1601
- ⑩ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. X 1602
- ⑪ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XI 1602
- ⑫ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XII 1602
- ⑬ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XIII 1602
- ⑭ Frid. Cressius, De ver. rel. chr. XIV 1602
- ⑮ Das. Rezzius, De ver. rel. chr. XV 1602
- ⑯ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. XVI 1602
- ⑰ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. XVII 1602
- ⑱ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XVIII 1602
- ⑲ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. XIX 1602
- ⑳ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. XX 1602
- ㉑ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. XXI 1602
- ㉒ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. XXII 1602
- ㉓ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XXIII 1602
- ㉔ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XXIV 1602

12

Disputationum
DE VERITATE
RELIGIONIS

CHRISTIANÆ,
EX P. MORNÆI, DE
EADEM LIBRO,

Duodecima,
DE ANIMAE IMMOR-
TALITATE.

Quam

DEO DVCE ET AVSPICE
P R A E S I D E
EILHARDO LVBINO, .

*In alma Rosarum Academia defen-
dere conabitur*

VVERNERVS FABRITIVS
Neomonafterienfis Hofſatus.

Hora & loco conſueto.

ROSTOCHII
Exprimebat Chriſtophorus Reuſnerus,
ANNO M. D. CII.

DE VERITATE
RELIGIONIS

CHRISTIANAE
EX M. MORW. A. DE
ENDEM. LIBRO



DE ANIMI
TAB.

DEO DICE ET ALIIS

EDWARD O. LINDO

VIRRIUS FABRIUS

ROSTOCHII

DISPUTATIO DVODECIMA
DE ANIMAE IMMOR-
TALITATE.

I.



Hactenus cum de DEO, quod sit, unus, summum
Ens, in tribus personis; tum de Mundo, quod cæ-
perit, non ita pridem, ex nihilo à DEO factus,
DEIque providentiâ, omnia in mundo, etiam mala
gubernante, interq; fatum & fortunam medium te-
nente, regatur, rationibus & testimonijs Philosophorum com-
probavimus.

2. Iam de homine *μικρονέσω* qui utriusq; Epitome est, sequi-
tur, qui animo & corpore interno & externo homine quasi con-
stat, hujus admirandâ structurâ mundi; illius mirandis potentijs
& facultatibus Dei imaginem, vel potius umbram, referens. De
quâ, tanquam interiore homine, hic solummodo agemus.

3. Sunt a. in unâ animâ tres inter se distinctæ facultates,
Vegetalis cum plantis, sensitiva cum brutis communis, & Ratio-
nalis, quâ homo est. Illa & ista necessario exercentur in & cum
corpore, hæc sine corpore esse & vivere potest.

4. Quod a. supra de Deo diximus, de animâ etiam Rationali
asserimus, promptius esse quid non sit, quàm quid sit explicare.
Cujus immortalitatem quæ Providentiam necessario consequi-
tur, ut probemus, demonstrandum primo est, Quod non est cor-
pus, aut corporis pars, Neq; enim cum illo crescit, nec mutilato
ægrotove corpore mutila est, aut ægrotat.

5. Quod a. pueri animi impotentes, aut senes decrevisse, vi-
deantur, nec opera virorum corpore posse exercere, fit ob defe-
ctum organorum, quæ si integra restituerentur, exercerentur
optimè.

6. Præterea corpus omne est finitæ dimensionis & capacita-
tis. Anima vero nulla re finita definiti aut impleri potest, quæ
ut ignis materiæ adjectione crescit, sic cognitione rerum fit ca-

pacior, quæ sine motu, loco, tempore, innumeris locis omni tempore sine motu adesse potest.

7. Adde, quod corpora se penetrare nequeant. Animæ verò etiam innumeræ se quasi penetrant, dum in iisdem sententijs, veritatibus & rationibus defiguntur; quæ dum res corporeas includere reddit, & ita comprehendit, interim ipsa à corpore, cui inclusa videtur non comprehensa, corporea esse nequit. Qualis si esset nullum corpus comprehenderet.

8. Forma corporis ut alterius corporis formam essentialem induat, suam priorem prius omittat oportet. Anima vero omnium rerum formas suscipit, suam interim retinens.

9. Quid? quod corpus omne ex Elementis sit compositum, & patiatur; Quæ cum mortua sint & nihilo proxima, vitam, sensum, & rationem, & perennem illam animæ actionem contribuere non potuerunt.

10. Est ergo & immaterialis. Vtiq; cum materia unam tantum definitam formam, Anima contra omnes etiam contrarias absq; quantitate affatim suscipiat, idq; quo plures hoc magis vacuam & capacem se sentit. Vnde fit, ut quo quis doctior, eo sibi indoctior videatur.

11. Præterea omnium, ex quibus rerum interitus, nullum, quod in animam aliquid possit. Non contrarietas, cum ipsi nihil sit contrarium. Non alimenti inopia, cum pascatur rebus incorruptibilibus. Non copia, quia nulla re satiatur. Non vis, quæ tantum in corporeis. Non objecti violentia, Quo n. illa sublimior, hoc magis roborat, & excitat mentem.

12. Vnde fit, ut lippi & surdastri à rebus splendidissimis & sonitu acutissimo abstinere jubeantur, quod debilia sensuum organa corporea facile lædantur. At rudibus ingenijs maxime intelligibilia & à materia abstracta proponuntur, quæ cum non lædantur indicio est, quod organis corporeis & materialibus non utantur.

13. Interitus etiam est à passione materiæ vel separatio materiæ à forma. Iam verò anima materiæ prorsus experta est, utpote forma per se subsistens, sine ullâ materiâ.

14. Quid? quod formæ à materiâ abstractione corpus moriatur,

riatur, anima vero demum verè vivit, cum ab materialibus & sensibilibus ad res intelligibiles & formales abstrahitur. Vnde Philosophi dixerunt vitam Sapientis perpetuam mortis meditationem esse.

15. Mors etiam cum sit motus, ad finem, & anima sit supra omnem locum, motum, tempus, mori nequit, quæ seu quiescat seu agit cordis & pulmonis motu nihil interpellatur.

16. Præterea nutritur quasi & fovetur anima etiam rebus incorruptilibus, ratione & veritate, quæ nec loco, nec motui, nec tempori subjiciuntur.

17. Novit etiam anima, quid sit immortalitas, ejusq; conditiones. Vnde immortales ipsa esse convincitur. Et licet toto vitæ tempore negarit, sub vitæ finem hoc fatetur.

18. Tres etiam in anima facultates & vitarum gradus liquidissimè animæ immortalitatem demonstrant. Embryo in utero vitam plantæ vegetativam: Homo in hoc mundo sensibili, vitam brutorum sensitivam vivit. Reliqua mens, cum in mundo hoc se dignum objectum non habeat in futurâ vitâ æternâ, in mundo intelligibili Deo demum inveniet.

19. Quod infelices quidam objiciunt animam & corpus unum esse, cum corpus tantum videant, eadem ratione etiam Deum negare poterant. Quem ut ex effectibus: Ita & animam ex effectibus consideremus, quæ si videri posset corpus esset, actionibus animi ineptissimum.

20. Ridiculum etiam est intellectum excellentem quendam sensum dicere. Sensus n. non componunt aut dividunt, multo minus syllogizant, qui sensus effectus sentit, ratio vero ex illis causis etiam remotissimas & abstrusas indagat, ipsos sensus falsitatis sæpe convincens & arguens, sæpe etiam contra sensus depugnans.

21. Quid? quod bruta, quibus sensus, uno modo vivant, nidificent, canant: homo alio atq; alio modo hoc agat, utens linguis admodum varijs. Vt jam taceam sensus rebus vehementer sensibilibus lædi, quod de ratione affirmare falsum est.

22. Nec momenti alicujus, quod objiciunt, animas non nunciare hominibus; Illis n. post mortem suus quasi locus adsignatur, ex quo migrare, neq; volunt neq; possunt.

23. Quod a. obijciunt sensitivam & vegetativam corrupti cum corpore, & per consequens etiam intellectivam: falsum est: Instrumenta n. tantum amittunt, & per consequens usum, facultates manent.

24. Quod a. multi in morbis rationem amittere videantur, falsum est, & fit tantum propter organa sensuum interiorum & exteriorum corrupta; à quibus tanquam falsis & corruptis interuncijs ratio decepta bene ratiocinando fallitur.

25. Hanc ergo animæ immortalitatem literæ sacræ & profanæ certatim fatentur, tanquam basin quasi & fundamentum, sine quo omnis religio, sapientia, virtus vana & otiosa.

26. Quam claris testimonijs illustrat Hermes, Zoroastres, Magi in Chaldæâ, Pherecydes Syrus, Phocylides, Orpheus, Theognis, Homerus, Hesiodus, Pindarus, Pythagoras, Archytas, Philolaus, Epicharmus, Heracletus, Thales, Anaxagoras, Diogenes, Zeno. Socrates hanc sua morte confirmat, Plato integris libris, ut & Aristoteles licet parcius, & Græci sermè omnes.

27. Idem faciunt Latini, Cicero integris libris, Ovidius, Virgilius, Poëtæ omnes, Seneca totus, qui etiam resurrectionem novit, Favorinus & reliqui innumeri.

28. Gentes etiam religiones & sedes beatorum habuerunt, ut ex Pindaro, Diphilo, Sophocle, Euripide videre est, quibus immortalitas præsupponitur. Idem sentiunt Indi Gymnosophistæ, Thraces à *Javali* *Cortes*, Galli Massiliensis, Druidæ, Hetrusci, Scythæ, Dæmones ipsi.

29. Et recentiores circa natum Christum Philosophi, ut sunt Epictetus, Simplicius, Plotinus, (apud quem ferè omnes supra positæ rationes, quædam etiam meliores,) Aphrodisæus, licet diversis locis diversa statuere videatur, Galenus ipse, atq; adeo omnes auctores Græci, Latini, Philosophi, Poëtæ, oratores, hanc fidem vel factis vel verbis declarant, & deniq; omnes gentes & populi, quotquot sub cælo vixerunt & vivunt.

30. Ad Averroem & Alexandrum quod spectat, qui unum universalem intellectum esse docebant, qui omnia in omnibus, diversa in diversis ratiocinetur, vel prout intelligendi capax vis, in singulis diversa, ab universali agitur, ut hic, vel prout in singulis diversa phantasiæ, quibus intellectus universalis agens & possibilis utatur, ut ille; ridiculum est.

Ari

31. Aristoteles, quem pro se uterq; citat, ab hac opinione alienus fuit. Qui cujusq; corporis formam dicebat vegetativam sensitivam, intellectivam. Quorum duæ priores facultates cum cuiq; corpori sint peculiare, & hæc peculiaris cuiq; corpori quasi proportionatur. Quæ si in homine quoq; peculiaris non esset, nihil ille à bruto differret, quod & ipsum phantasiam habet recipiendo intellectus influxui aptum.

32. Quid? quod ille nos non diversa solum animalia sed & homines diversos dixerit, de beatitudine & justitia scripserit, quæ omnia sine animæ immortalitate essent frivola.

33. Porro, si, juxta Averroem utraq; intellectus facultas agens & possibilis utitur phantasijs, sequitur si creatus sit, mundum non esse æternum, quod contra Averroem. si æternus, vanis hominum phantasijs mancipari non debuisse, neq; etiam errare unam cum phantasijs, & si decipiatur ab uno ab omnibus decipi debere.

34. Quid? quod intellectus phantasiæ & appetitui repugnet sapere, & intellectu & voluntate agere possit sine corpore, utpote actu immanente, & interiorem hominem perficiente. Cumq; sic homo phantasiâ nil melius habeat, & interim velit & intelligat multa, sequeretur cum unus sit intellectus, omnes unum intelligere & velle. Quin nihil possemus intelligere & velle, utpote cum phantasia in materialia & extranea operetur. Intellectus verò & voluntas in operante maneat,

35. Quin etiam huic intellectui nihil amplius novi posset occurrere, utpote à tanto tempore in tot hominum phantasijs exercitato; cujus ope possessor illico capax & compos redderetur ejus omnis, quod esset in intellectu. Vnde consequitur omnia ab omnibus æqualiter intelligi.

36. Quin etiam per phantasiam sibi quis, quæ intellectui inessent, repræsentaret, & sic omnium essemus *ἀντιδιδακτοι*. Adde, quod cujusq; intellectus se, tanquam singularem intelligit.

37. Aphrodisæus, qui per intellectum agentem Deum intelligere videtur, magis absurda statuit, magis impia. Deum tantam insaniam pravitatem & ignorantiam, quam in se quisq; sentit, vel infundere homini, vel in homine pati.

38. Qui intellectus si perpetuo ageret, quidquid phantasia exhiberet, omne sine labore intelligeremus. Si non semper, frustra interdum velle & intelligere velle.

39. Deniq; si intellectus unus in omnibus esset, una etiam omnium esset intelligentia, ut sol omnia calefacit & illuminat. Iam vero multi de una re contraria statuunt.

40. Est ergo singulis una peculiaris anima, cui inest rationis radius, quo rationi quæ una & simplex est, consentiunt, ejusq; principijs: Et ut singulis peculiare corpus: Ita & temperies, phantasia, vivendi ratio, qua & inter se differunt, & ab unitate rationis variè deflectunt.


41. Possibilis a. intellectus ut illi vocant, est peculiaris cuiq; mentis radius, quæ omniibus per sensum oblatis perficitur, & ut ignis materiâ suggestâ crescit, quæ memoriâ intellectualem vocant receptaculum ejus, quod perpetuo à mente fluit.

42. Agens v. intellectus est mens illa à quo ratio, quæ mens ab uno ad alterû rationē extendit, à sensibilibus ad insensibilia, mobilibus ad immobilia. Qui se ad rationē habet, ut movens ad rem mobilē, cū ratio se ad objecta habeat, ut res mobilis ad spatium in quo movetur. Quæ duo sunt una substantia, cuiq; peculiaris.


43. Est ergo anima ab omni corporis conditione diversa, tribus facultatibus distincta, quarû duarû priorum usus licet cū corpore cesset, essentia manet, per se subsistens, immaterialis, intellectualis, supra omnem mortem & interitum. Quæ ut corpus mundi, sic anima imago Dei. Cui gloria & gratia, Amen.

AXIOMATA.

1. Providentia, & anima immortalitas, coherent.
2. Si Deus est mundanus, erit & anima corporalis.
3. Anima & mentis concepta sunt sine loco, motu, & tempore.
4. Anima quodam modo infinita, cum nullius rei finitæ cognitione impleri.
5. Quo quis doctior, hoc doctrina inanius sibi videtur. (posit.)
6. Materialia propriè corporalia, & interitui obnoxia.
7. Anima ubicunq; tota est in corpore.
8. Homo novit immortalia, non autem aterna.
9. Nihil seipso majus comprehendit.
10. Religio & Virtus, Christiana & Eshnica immortalitati animorû nititur.
11. Vnus homo igne utitur divinitatis suæ quasi documento.







ortis fuisse, non, ne crimen detegant, sed ne vir-
ant, ne ipsi quidem hostes Christianorum nē-

tionem illam repentinam, quā Deorum cultus
nt, ad constellationem referunt, quā mundum
z pro diversis cæli imaginibus singulos Plane-
ominari supponunt, quæ vesanorum hominum
Syro satis refutata sit, seq; ipsam explodat re-

climatibus tot regiones, urbes, oppida, familiæ,
imis sæpe religionibus inbuti, quā insaniam suam
Cumq; Planeta climatis religionis Judaicæ
ligio in totum orbem disseminata est, proprio

as Planetarum conjunctiones Religiones facere
i conjunctiones tantum, alij Iovem tantum, alij Io-
♂ Chaldaicam, cum ☉ Aegyptiam, cum ♀ Mahu-
a, cum ☾ Antichristianam, Addunt a. magnas medias
interq; se de religionis domo variè contendunt (quæ
ex fo) prius inter se insulsi & insani conveniant, an-
postulent.

es à conjunctione Stellarum dependent, cur cum illis
io Christiana tantæ sit durationis, tamq; latè pateat,
nativitatis tempore talem conjunctionem. quod nex
Astrologorum somnio sex esse possint Religiones
m in una familiâ.

nde Religionis Thema erigere debeant à fine eius
ius, quæ oritur aut deniq; legislatoris ipsius Iesu ge-
ptias suas Christianis intolerabiles satis impie pio-

s hominis Genesi Religio, hoc est tot naturæ, regio-
j, Dæmones, affectus animi & mentis, cum vel ipso
on cogant, cum etiam in singulis regionibus aliquis
t.

contemplationum vanitatem eventus ipse manife-
stianam 360. annos duraturam dixerunt, quam Al-
extendebat, Abraham Iudæus ad 1464, &, suo more

isti per Magiam facta esse contendunt exemplo Si-
nyanæi, Appulei Madaurenfis. Cum Simon vel eo-
is sit, Iesu divinitati concesserit. Et cuius Diabolica
rejecta & cum ipso extincta est.

Apol-